



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

645. Qualiter derogetur indultis Cardinalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Qua tamen constitutio non videtur extendi ad alios casus, ita ut etiam, dum Cardinales Episcopi conferunt beneficia reservata, quae alias, seclulis reservationibus, conferunt jure ordinario dicantur ea modò vi istius constitutionis conferre delegato. Vide de hoc dicta superius in q. 2. hujus §.

*Questio 645. Qualiter derogetur indulgitiis Cardinalium?*

1. **R**espondeo primò, non obstante indulto, posse Papam praevenire, conferendo beneficia sub indulti reservatione comprehensa; quia per indultum non censetur sibi ligasse manus, quin ipse conferre possit, praeveniendo tanquam de reservato. Tond. loc. cit. num. 36. quod tamen intelligendum; modò expressè derogaverit indulto Cardinalis, faciendo de eo expressam mentionem; idque propter privilegium Leonis, quo cavetur non censeri derogatum indultis Cardinalium per quascunque gratias à Papa concessas, nisi specialis mentio tituli & denominationis Cardinalis facta fuisset; quamvis putent plures, illud privilegium Leonis non extendi ad Successores dicti Pontificis. Tond. *ibid.* n. 37. sed quidquid sit de dicto privilegio, dubitandum non est, quin requiratur expressa derogatio indultorum Cardinalium. Quae tamen sufficienter facta dicitur, si in rescripto Papae adesset clausula: *Non obstantibus privilegiis talis Ecclesiae, vel illius Praesulis etiam Cardinalis.* Tond. loc. cit. n. 38. citans Achill. de Grassis, *decis.* 7. de privileg. Ricc. *collec.* 2380. *Et.* Additque num. seq. non solum in provisionibus beneficiorum per Papam factis necessariam esse derogationem indulti Cardinalis Collatoris, sed etiam in concessione coadjutoriae facta per Papam; ita ut ea concessa sine ista derogatione non suffragetur; citat pro hoc Rotam *decis.* 10. p. 3. l. 3. *divers.*

2. Respondeo secundò: derogationem indultorum intelligendam esse de indulto extraordinario, non autem ordinario, ex Puteo *decis.* 93. l. 3. testante sic decisum à Rota 26. Martii 1548. in una *Toler. canonizat.* refert Paris. l. 7. q. 12. n. 27.

*Questio 646. Qualiter cessent haec indulta?*

1. **R**espondeo: juxta dicta superius ex Card. de Luc. *de benef.* d. 2. n. 5. indulta concessa Cardinalibus respectu Ecclesiarum, quas habent tanquam Episcopi dimisso Episcopatu cessare, ac proinde non suffragari illis amplius, sed opus esse novo indulto, quo concedatur retentio facultatis conferendi reservata & affecta. Et hoc quidem, dum aliud non exprimitur, suffragatur solum pro beneficiis istiusmodi reservatis existentibus in Ecclesia ultimò dimissa, non autem pro aliis, quas jam ante seu prius dimiserant. Card. de Luc. *in sum. de benef.* n. 114. Ad illud autem, quod *cit. d. 2. n. 5.* referebat de Episcopo quodam, cui concessum indultum conferendi reservata etiam suffragaretur post dimissum Episcopatum, responderi; id speciale & individuale fuisse; additque n. 16. ex tenore indulti istius clarè constituisse, illud concessum fuisse personae, non autem ratione Episcopatus, qui demonstrativè solum enunciatus fuit.

2. De cetero indultum extraordinarium, nimirum conferendi reservata, quae alias seclulis reservationibus conferre nunquam potuit, seu respectu quorum nunquam in eo radicum fuit jus ordinarium conferendi ex juris communis dispositione,

qualia indulta concedi solent Cardinalibus non Episcopis, seu non ordinariis Collatoribus, & quae meram continent delegationem, per quam indultarius confert reservata vice & nomine Papae; haec, inquam, indulta cessant Sede Papali vacante; quippe hac vacante cessant regulae Cancell. adeoque reservationes praesertim mensium indulta per has regulas; quin & aliae reservationes reales & personales exceptis iis, quae in corpore juris includuntur, ut sunt familiarium, primae dignitates &c. (licet exinde collatio eorum non transeat ad ordinarios Collatores, quia remanent affecta) & consequenter locum non habet indultum, quippe, quod tantum se extendit ad reservata, sed intrat ordinarius collator. Card. Luc. *de benef.* d. 31. n. 2.

*Questio 647. Num aliquibus praeter Cardinales hujusmodi indulta conferendi reservata concedi soleant?*

**R**espondeo affirmativè; solet enim Papa aliquibus, nimirum Praelatis qualificatis, praesertim ultra montes Archi-Episcopis concedere indultum conferendi beneficia, quorum, cessantibus reservationibus Apostolicis vel affectionibus, liberam collationem habent ratione Ecclesiarum suarum, quas possident; quorum tamen indultorum omnium non est eadem formula, sed magis minusve lata, prout Papae placuerit. Card. de Luc. *in sum. de benef.* n. 109. & 118.

*Questio 648. An, & qualiter provisio à Cardinalibus in consequentiam indulti ipsi concessi teneantur sibi novas provisiones à Papa impetrare?*

**R**espondeo: tenentur has sibi impetrare intra 6. menses à die sibi factae provisionis à Papa, & jura Camerae Apostolicae, & aliis propterea debita persolvere, ita ut si ea non praestiterint ante dictum tempus, provisio illi facta à Cardinali sit irrita, & beneficia vacent ipso jure, & possunt ab aliis à Sede Apostolica duntaxat, utpote cui reservata sunt, liberè impetrari, modò provisio non docuerit de impedimento. Tond. p. 2. c. 3. §. 5. n. 22. & 23. citans Barb. *de potest. Episc.* alleg. 57. n. 52.

PARAGRAPHVS II.

De potestate Legatorum Apostolicorum conferendi beneficia.

*Questio 649. Quotuplicis generis sint Legati Apostolici?*

**R**espondeo triplices: nimirum Legati nati, Legati missi: & horum alii missi de Latere, alii simpliciter missi, seu Nuncii. AA. communiter cum Gl. in c. 1. de off. Legati in 6. Legati nati dicuntur certi quidam Praesules, qui ratione Ecclesiarum suarum, quibus iste honor legationis perpetuò annexus est, munus & officium Legati obtinent, quamprimum ad eas promoventur; ac proinde morte Pontificis eorum potestas non expirat, juxta c. praesenti. de off. Leg. in 6. tales sunt Archi-Episcopi, Cantuariensis in Anglia, Toletanus in Hispa-